Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26172
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ut quemadmodum nos ille sincera et pura atque indissolubili
diligit caritate, nos quoque ei perpetua et inseparabili dilectio
ne iungamur. ita scilicet eidem copulati, ut quidquid speramus,
quidquid intellegimus, quidquid loquimur deus sit. in illum itaque pervenien
tes quem praediximus finem, quem idem dominus orans in nobis optat imple
ri: ut omnes sint unum sicut nos unum sumus, ego in eis et tu in me,
ut sint et ipsi consummati in unum. Et iterum: pater quos dedisti mihi
volo ut ubi ego sum et ipsi sint mecum. Haec ergo destinatio so
litarii, haec esse debet omnis intentio, ut imaginem futurae
beatitudinis in hoc corpore possidere mereatur, et quoddam ar
ram caelestis illius conversationis et gloriae incipiat in hoc vasculo praegus
tare. Hic inquam finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata
mens ab omni situ carnali ad spiritalia cotidie sublimetur,
donec omnis eius conversatio, omnis volutatio cordis una et iugis
efficiatur oratio. Germanus. viii. Maior nos ad praeteritae colla
tionis illius admirationem, ob quam huc recurrimus, magnitudo
stuporis accrescit. Quantum enim incitamento doctrinae huius ad
desiderium perfectae beatitudinis inflammamur, tantum maiore despe
ratione concidimus, ignorantes quemadmodum disciplinam tantae
sublimitatis expetere vel obtinere possimus. Quapropter quae in cel
la positi diutina meditatione volvere coeperamus, quia neces
se est longa forsitan prosecutione proferri, quaesumus ut explicari
ea a nobis patienter admittas, quamquam sciamus beatitudinem
tuam nullis offendi solere ineptiis infirmorum, quae vel ob hoc sunt in me
dium proferendae, ut quae in eis absurda sunt corrigantur. Quantum itaque
opinio nostra se se habet, cuiuslibet artis seu disciplinae perfectio
necesse est ut a quibusdam mollibus incipiens rudimentis, facilioribus
primum ac tenerrimis initiis imbuatur, ut quodam rationabili lacte nutrita
paulatim educataque succrescat, atque ita ab imis ad summa sen
sim gradatimque conscendat. Quibus cum fuerit planiora principia.